

28. grad. 5. minut. Leonis, si addiderimus quantitatem longitudinis Pleiadum, scilicet, 1. grad. 30. min. ueniet locus Veneris ad 20. min. primi gradus Virginis. Sol autem medio cursu suo erat in 17. grad. & 52. minut. Librę, quare longitudo maior matutina fuit 47. grad. 32. minut. Deinde in anno 21. Adriani nona die mēsis Mesor sexti, hora uespertina considerauit Ptolemæus Venerem apud stellam uicesimam sextam Aquarij, eam, scilicet, quę Septentrionalis est in paruo quadrilatero, quod circa primam insinuationem aquę est, & uidebatur præcedere eam in duabus quintis unius gradus. Apparuit etiam Venus tunc scintillās admodum. Huius autem stellę fixę locus fuit in 20. gradu Aquarij secundum computationem Ptolemæi, quare locus uerus Veneris fuit in 19. grad. 36. minut. Aquarij. Sol uerò secundum cursum medium erat in 2. grad. 4. min. Capricorni, quare longitudo maior uespertina fuit 47. grad. 32. minut. Quod si differētiam locorum Solis mediorū dimidiabimus, ad 25. grad. Tauri, & 25. grad. Scorpionis, quemadmodum superius, perueniemus. In quorum uno ponemus longitudinem ecētrici Veneris longiorem, in alio autem propiorem.

*Longitudini Veneris longiori atq; propiori sua seorsum loca assignare. Propositio II.*

**C**ertitudo iam est alteram longitudinū esse in 25. grad. Tauri, & alteram in 25. grad. Scorpionis. Sed utrum hic uel illic sit, duas per considerationes docēbimur. Quarū unam fecit Taion Ptolemæo recitante in anno 13. Adriani, in mense Aegyptiorum Achita undecimo, duobus, scilicet, diebus transactis,

in mane diei tertij. Tunc enim uidebatur Venus præcedere lineam rectam, quę trāsit per precedentem trium stellarum in capite Arietis existentium, et per eā quę in pede eius postremo est. Præcedere inq; uidebatur per 1. grad. 24. minut. Et erat distantia Veneris ab ea stella, quę est in capite Arietis fere dupla distantię ipsius Veneris, à stella quę in postremo pede est. Stellę autē quę in capite Arietis est, locus erat tunc in 6. grad. & 36. minut. Arietis, & eius latitudo Septentrionalis 7. grad. 20. minut. secundum numerationē Ptolemęi. Illius autem quę in pede postremo est, locus erat in 14. partibus, et 45. minut. & latitudo eius Meridionalis 5. grad. & 15. minut. Vnde concludetur Venerem fuisse in 10. grad. & 36. min. Arietis, habendo latitudinem Meridionalem 1. grad. & 30. minut. Sol autem per cursum medium erat in 25. grad. & 24. minut. Tauri, quare longitudo maior fuit 44. grad. & 48. min. ¶ Alia fuit consideratio Ptolemæi in anno 21. Adriani, duobus diebus mensis Tobi quinti, scilicet, transactis, hora uespertina. Videbatur enim Venus per relationē ad duas stellas, quę sunt in duobus cornibus Capricorni, in 12. grad. & 50. minut. Capricorni. Sol autem medio cursu suo erat in 25. grad. & 30. minut. Scorpionis, quare fuit longitudo uespertina maior 47. grad. & 20. minut. Quia autem longitudines maiores respectu medij loci Solis fiunt, solum propter epicyclum, dum ipse in auge, uel opposito augis ecētrici fuerit. Quoniam diuersitas quam ingerit ecētricus, tunc nulla est. Huiusmodi autem longitudo maior inuenitur apud 25. grad. Scorpionis, quàm apud 25. grad. Tauri. Palam est quanta fuit longitudo per obseruationem precedentem, quod in 25. gradu Scorpionis hoc